

Q. K. 427, 26^a.

X 19033 90

JOSUÆ FLORINI

de

Incruento periculoso tamen

CANDIDATORUM BIGÆ,

DNN.

CLEMENTIS

BAVARI,

&

CARDINALIS

FURSTENBERGI,

Ad Archiepiscopatum Coloniensem
evehendæ

DUELLO,

ad

EUCHERIUM GENANUM

EPISTOLA.

COSMOPOLI, 1688.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines across the page.





Nobilissime Dn. Genane.

Multum temporis, quo literarum Commmercium veluti Sopitum prorsus *quievit*, præterfluxisse nosti. Cui nostrum causa sit adscribenda, haud facile divinarim. Miratus sum certè non unâ vice, Te, quem cæteroquin plus quàm hostili pertinaciâ densa circumpanant ac obsident negotiorum agmina, tantam calamohactenus indulgisse *quietem*. Cum enim universus penè Terrarum orbis, nec Papâ ipsò quidem, sanctitatis Apile & Coryphæo exceptò, *Quietissimum* ejuravit, hoc est *Quieti* ac Paci nuncium remiserit, præsens Mundi facies multam omninò scribendi porrigere Tibi videtur ansam. Animum quoque nova, quæ prægnans quotidiè parturit Orbis, sciendi cupiditate insatiabilem non ignoras. De *Quietistis*, quos vocant, cum unus alteri mentem suam recluderit, vix opus videtur, angustas injectâ eorundem mentione conspergere ac replere pagellas. An ad manus tuas *Morforii* de turbulento Urbis Romæ statu quæstio, & spinosa ad eandem, verissima tamen & ex Tripode veluti deprompta responsio pervenerit, hæreo. Inspergenda hîc duxi, quæ Parisiis ad nos per literas transierunt, & ita habent: *Il y a Couro un Pasquin, dans lequel Morforio lux demande le que l' on y fait dans un temps si chagrin, & Pasquin lux repond, que l' on fait ce que l' on faisoit dans le jardin des Oliviers, lorsqu' on Coupa l' oreille à Malcus, & que l' on ne fit rien à Judas, par le qu' il etoit du nombre des Apôthes: Voulant faire allusion à Molinos qu' on a fort maltraitté, & qu' on n'a rien fait au*

Cardinal Petrucci, par le qv' il est du saorée College. h. e. Famosum
hic circumtulerunt libellum, in quo Morfario quærit: quid tempore
adeò turbitiente agatur? Cui libellus respondet: Hæc agi, quod jam,
olim in horto Olivarum sit peractum, postquam auris Malcho est ab-
scissa, ludus verò illæsus stetit, quoniam ad numerum Apostolorum per-
tinuit. Volut autem alludere ad D. Molinosum, qui ad Carcerem da-
mnatus; Cardinalis autem Petrucci illæsus, cum membrum S. Collegii
existat, evaserit. Ejusmodi contraria ac irata prorsus alios pas-
sim castigunt fata. Vix unquam terrarum Orbis Pace ac Qui-
ete, atqve hodiè fit, præsertim intra Papalis Regni pomeria per-
sonuit, quæ tamen relegata ac perpetuò jam coërcita videtur,
exiliò. Pontifex Quietem Quietis h. e. Quietismi & Quietista-
rum expulsionem sedi conciliaturus Apostolicæ, Inquietis agitan-
dum sese exposuit Turbini. Molinosum enim Inquietis &, quæ
nondum obmutuerunt quidem, Turbarum Romæ ac per totam
fermè Italiam excitatarum Coryphæum publicæ quieti stabili-
endæ causa è medio sublaturus Galli nunc pullorumqve ipsius in-
quietatur cantu. Dum Romæ filet cum Quiete suâ Molinosi-
us, acutissimis venerandum caput Culices illi, in quibus omnis
inquietis Cardo vertitur, infestant ac inquietant aculeis. Ni-
des, sacrum me Cardinalium ordinem, è quo tanta Inqvies, tan-
ta bella atq; certamina ad Apostolicam redundant sedem, quan-
ta nec Arte nec Marte sedari unquam possunt, tangere. In-
quietismi (liceat hoc uti vocabulò) hujus specimen edit hac
tempestate superbiæ, ut videtur, Mancipium Dn. Cardinalis à Fur-
stenberg Archiepiscopatus Coloniensis, solerrimus pariter &
avidissimus Auceps, qui voluntatem Pontificis susq; deq; ha-
bens streperò Galli alios inquietantis mirum in modum flecti-
tur ac delectatur cantu. Hinc pulli ad instar eidem adhæret,
alarumqve tectose commendat protegendum, eò quod ipsi,
ubi & quando visum, ceu Inquietis & Bellorum inserviat Orga-
non. Clementem Bavarum & Cæsaris & Papæ suffragiis ex-
peti.

peti, quis ignorat? *Furstenbergium* autem dominandi libidine turgidum turbis excitandis natum, nemo est, qui dubitet. Refert *Gölnitius Comp. Geogr. L. 2. p. 106. de Hispanis, ipsos infantes egrotos voto huic vel alteri sancto consecrare, eosque sanitati restitutos ejusdem ordinis habitu induere, & hinc factum esse, tot infantulos in publico, oberrantes monastico habitu videre.* In Gallia quoque hanc nidulari jam consuetudinem, vivum testatur. Exemplum *Furstenbergius*. Cum enim & ipse (dominandi desiderio) & Confilia sua ova simul ægrotarint hætenus, ad Epulum inaugurale Dn. ab Elderen solenniter celebratum invitatus, causam prætendens adversam valetudinem, non apparuit, & hinc *S. Ludovico*, quo vix certiores causæ suæ sanandæ invenit Patronum, totum se devovit. Habitu insuper ejusdem sancti, uti innumerabiles alii, jam jam ferè indutus incedit, h. e. firmâ spe lætatur, fore, ut ad Archiepiscopatum Colonensem propediem evehatur, & ita pristinae reddatur sanitati. Verùm cum & Pontifex & Imperator in *Clementis Bavari* unanimiter conspirent electionem, adeoque habitu isto exuere ipsum velint, crebræ mutationis pertæsus tantum sibi eripi bolum, profundè dolet, acriter fremit, & graviter denique in dissentientes detonat. Sed

Quibus auxiliis, tandem, cur, quomodo, quando?

Prædictus *Furstenbergius* ad tantæ dignitatis adspirare gestit fastigium? Ferunt *Ἀλεκτρομαντείας* ipsum sollicitare consilium: quæ quid sit, & olim fuerit, brevibus juvat exponere. Olim de re futura solliciti literæ Alphabeti integræ Circulo pulvere conspersus, quarum unicuique hordei vel tritici granum impositum, inscribebantur. Immittebant deinde *Galium*
adju-

adjurationibus prius ad hunc usum aptatum: & è quibus literis Grana ille abripuisset, eas conjunctim sumtas Nomen rei quæsitæ repræsentare putabant. Hâc superstitione ductus olim *Valens Imperator* *Arrianus* per *Libanium* & *Jamblichum* divinatione *Galli* gallinaevi quærebant, quis futurus esset Regni successor? Cumque Gallus iste in Circulum, immissus Grana è literis Θ. Ε. Ο. Δ. (Græcum enim expressum erat Alphabetum) sustulisset, & hac ratione incertum fuerit, quid *Nominis* indigaretur, omnes omnino, quorum *Nomini* initiales literæ *Theo* erant præfixæ, necare jussit, & sic *Theodorici*, *Theognosti*, *Theoduli* atque *Theodosii* trucidati sunt, succedente nihilominus per *DEI* gratiam *Theodosio*. Vid. *Peucerus de Gener. divinat.* p. m. 159. *Lud. Gottfried in Histor. Chron.* P. V. p. 402. aliique cit. *Antiqq. nostr. Nominal.* P. II. L. V. c. 3. §. 1. seqq. ubi alia quoque obvia sunt Exempla. Ad superstitionis hujus imitationem de *Archiepiscopatus Coloniensis* Successore sollicitus & anxius admodum *Furstenbergius*, prout ipsum animus curiositati immerfus agitatur, rei eventum consilio & admisione *Galli* Gallinâ succumbente propriâ orbat, cristasque hodiè præ cæteris erigentis scrutari non erubuit. Hinc Circulo latinas, ut sistit Alphabetum, includens literas singulis granum superimposuit, è quibus *Gallus* intra divinationis spheram constitutus non nisi unicum è litera C. abstulit Granum, cujus rei integrum Schema, applicatione ritè factâ, à *Prætorio Alestryomant.* pag. 51. & *Antiqq. Nomin.* loc. cit. delineatum hûc transferri curavimus:

Ob



Ob ablatum è litera C. Granum magno gaudio per-
 fusus *Furstenbergius*, se Cardinalem inde eligendum signi-
 ficari, ratus in pedes se festinans conjicit, quasi plan-
 tarum continuò cursu attritarum jacturam facturus,
 Als ob er sich die Beine vom Steiß (sit venia verbo)
 wolte weglauffen / totamqve mox Galliam, mox alias
Mercurii ad instar Provincias alatò, percurrit eqvo, divi-
 nationis suæ felicissimum ad ravim usque enuncians e-
 ventum. Quid *Pontifex*? Hominem quidem agnoscit,
 cujus Nominis prima litera C. sed proprium, non adven-
 titium ac *honorarium* indicari *Nomen* haud abs re judicat,
 & ita ad *Clementem Bavarum* potiùs, quam *Cardinalem*
Furstenbergium eventùs felicitatem redundare, arbit-
 tratur.

Qv id

Quid *Imperator*? *Granum à Gallo* abreptum cum *Grano salis*, h. e. ita interpretandum existimat, ut extra antiquam consuetudinem novi aut insoliti nihil admisceatur, neque frustra quicquam, quod Romano Imperio damnum aut detrimentum minetur, inde emergat, imò sibi potius & Pontifici, ex cuius arbitrio Cardinalium pendet exaltatio & humiliatio, libera Archiepiscopi Electio relinquatur.

Gallum intra Orbitam suam constitutum certum ac infallibilem rei interpretationem, ni limites, quibus circumscriptus est, transilire velit, exhibere non posse. *Utile* quidem, inquietum tamen Animal esse, ad *Aquilam* quoque *Volatilium Regem* inquietandum, eoque nido suo ejiciendum paratum: & hinc *Aquila* prerogativæ præjudicare minimè posse, cum minus Majoris dignitatem induere nequeat, juxta tritum illud: *Ne sutor ultra Crepitam!*

Quid *Respublica Coloniensis*? Ad *Sortes* hæc *Apostolorum*, ut vocant, *Consultatorias* timidè confugit, solamine quodam curam, & anxietatem, quâ cinctam se & oppressam videt, lenitura. Transierunt istæ ex fædissimis *Gentilium* lacunis ad *Christianæ* usque *Ecclesiæ* Confinia.

Gentiles enim certos ex *Homero*, *Virgilio*, *Museo* aliisque Poëtis, quos Numine afflatos credebant, qui primi visui occurrebant, versus *Oraculo* loco assumebant, unde *Sortes Homericae*, *Virgilianæ* &c. A quibus mes in *Electio*nibus *Episcoporum* aliorumque *Clericorum* S. *Scripturam* aperiendi, & verba primò obvia, *Oraculi* vice abripiendi vitam accepit, & originem. Vid. D. Linæ de *Sanctorum*

*Etorum sive Apostolorum Sortibus, nec non Fr. Pithæus Cod
Canon. Vet. Eccles.*

Maluerant autem *Colonienses* Innocentii III. Roman. Pontif. Epistolas à Stephano Baluzio congestas, cum infallibile caput illum credant Ecclesiæ, quàm S. Oracula, in re tam incerta consulere. Cumque fortè *Toen. I. Epist. 156. fol. 672.* Epistola de *Electiōne Patriarchæ Constantinopolitani sese obtulisset*, ad inevitabilem faterum nutum *Clementem Barvarum* ad Archiepiscopatum evehendum præ aliis judicarunt.

Quid *Rex Gallia?* Gallorum hic tantum Cardinalium ordini læta ac fausta semper annunciaffe, pertinacissimè contendit, unde litera C. *Cardinali* potiùs cuidam quàm alii, quicumque sit, Electoralem dignitatem deferendam statuit. Unde cum aliorum Interpretationes suæ jugulum petere, suorumque adeò Consiliorum evanescere, robur videat, extremâ indignatione ac vehementissimo iræ (ob Gallorum fortè, quorum *Nomen* gerit & *Omen* contemptum) correptus æstu, omnes ac singulos, quorum propriis *Nominibus* C. præfixum, *Carolos* puta, *Christianos*, *Clementes*, nescio an etiam *Cæsares* armorum furori & truculentiaë objicere ac radicitùs extirpare, ut ferunt, decrevit.

Verum, *Nobilissime Genane*, & alia hîc latet anguis in herba. Quâ fronte quæso, *Furstenbergius* armis & ferrô ad Electorale ascendere intendit fastigium? *Omine* sanè utriusque *Nomen* videtur imprægnatum. *Furstenbergii* quidem, utpote quod singulari, quæ *Principes* decet atque Magnates, *Eminentia* & *Magnificentia* turgidum: *Cle-*
B *mentis*

mentis verò *modestiae* ac *clementiae* plenum videtur, cui proinde haud malè Symboli loco illud Matth. 5.5. *Beati Mites. B. aliàs Balth. Meisnere* proprium assignaveris. Ponamus, *Furstenberg II.* causam immotò inniti ac stare talò: At quis *Martis* ac *Bellonae*, quâ Archiepiscopalis dignitatis tangere gestit apilem, non improbaret scalam? *Clementibus* restanda omninò est *Clementia*.

Fama est aliàs, *Aegidium Carvagliar* Hispanum Cardinalem lura Romanæ Ecclesiæ in Italia resarcientem, & Italiam ipsam malis hominibus expurgantem, cum scelestum aliquem examinaret, de *Nomine* primùm solitum quærere, quod si infaustum & infame sentiret, puniri jubere solitum, qui fuerat examinandus. Vid. *Dillherus Dispp. T. I. D. 226.* & *Dn. Wagenfeilius in Sota p. 166.* Si & hîc primò in Nominis naturam inquirerent Pontifex & Cæsar, utrum primas obtenturum existimas? *Clementem* omninò *modestiae* addictum. Miramur eqvidem *Regilliani* fata, de quo sequentia refert *Pollio* apud *Phil. Caroli Animadv. in Agell. L. 1. cap. 5. pag. 43.* Cum Milites quidam cum eo cænarent, adstitit *Valerianus* Tribunus, qui dixit: *Regilliani Nomen unde credimus ductum?* Altius continuò: *Credimus, quod à Regno.* Tum is, qui aderat, Scholasticus cæpit quas: *Grammaticus* declinare & dicere. *Rex, Regis, Regi, Regilliantis.* Milites, ut est hominum genus pronum ad ea, quæ cogitant, dixerunt: *Ergò potest Rex esse.* Item alius: *Ergò potest nos regere.* Item alius: *DEUS Tibi Nomen Regis imposuit.* Quid multa? Cum aliò procederet, *Imperator* est salutatus. At verò non sic, non sic, mi Domine, cum Cardinalibus statim ludere solet fortuna. Quid? quod tota *Dialecticorum*

rum, quos cum *Culicibus* comparat *Origenes* apud doctiss.
Weizium Fer. Cereal. p. 66. de stali irasceretur *Collectio-*
ne: Nomen spirat Principem, E. est Princeps, vel in Princi-
pem evehendus. Clementibus potius irata alioquin fata,
 quam testantur *Clementiam*, ac *Modestiae* *Basiateribus* su-
 um pollicentur favorem. Etenim, *Interprete Salvatore*
 Luc. 18:

Qui se exaltat, humiliabitur, & qui se
humiliat, exaltabitur.



QNT n 3509

VD 77

M. K.



Q.K. 427, 26^a.

X 19033 90

CAN

CL

CA

FU

Ad Arc

EUCH

E



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8


KODAK Color Control Patches

Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000



GÆ,

TIS

LIS

GI,

nienfem

NUM

